



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

De Aeternitate, & Aeuo. Cap. 9.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

iunctæ cum prima mente, bonum, & vnum attingunt: & propterea dicuntur esse media, & nexus, per quos animæ cum primo principio fœlicissimè copulantur. Mens enim animam format, terminat, eleuat, & cum primo principio coniungit. Apud Aristotelem, vt nō reperitur distinctio inter animam rationalem, & mentem; itaque neque inter non participatam, & participatam mentem. Simplicius verò cum hæc etiam tribuat Aristoteli, longissimè ab eius sententia recedit.

De Aeternitate, & æuo.

CAP. IX.

DEus, cum sit principium eminentissimū, & supra ens; nec semper ens, nec mensura præditus, propriè dici potest. Mens verò, quæ Deo subicitur, & est ens primum; rectè semper ens, & æternitas nuncupatur. Deus itaque est supra æternitatem, in mente primò refulget æternitas, cui in rebus mobilibus respōdet tempus. Vt autem hæc clariùs explicentur; de æternitate, & æuo, ex Academicorum sententia, aliquid dicamus: qua de re Theologi, Platonici, & Peripatetici vario modo loquuntur. Inquiunt Theologi Deo cōuenire æternitatem, Angelis æuum, quatenus sunt vitæ immortales, corporibus tempus: ita tamen, vt cælo cōueniat non æternitas, sed sempiternitas quædam; quia semper seruandum est; mortalibus

verò propriè tempus, & propriè mensurari tempore; qua de re multa apud D. Thomam, & alios legi possunt. Describitur æternitas à Boetio in 5. de consolatione prosa sexta, quòd sit interminabilis vitæ, tota simul, & perfecta possessio. A Plotino verò in lib. de æternitate & tempore; quòd sit vita infinita, tota simul; nam in æternitate nulla consideratur successio, sed omnia in ea præsentia sunt; præsentia dico, per momentum æternitatis, vniuersam aliorum latitudinem indiuiduè includens; a deò, vt simul sit quid indiuiduum, & immensa extensio. caret æternum potentia, vt non sit; propterea soli creatori conuenit. Æuum, dicitur mensurare creaturas; quatenus, nec mortis, nec mutationi sunt obnoxia, vt Angelos. Tempus demum mensurat motum, & res mortales. Ita loquuntur scholastici Theologi. Platonici inter æuum, & æternitatem non ponunt distinctionem; nisi quatenus æternitas est nomen abstractum, dispositionem significans; æuum verò concretum denotans id, quod est æternum: *αἰών* enim significat *αἰὲν ὄν*, hoc est, quòd semper est; semper esse ei conuenit, cui verè, & absolutè conuenit esse; huiusmodi est Mens; Menti conuenit itaq; æternitas, & æuum: Deus est supra æuum, & æternitatè. Sic Plato in Timæo inquit, æuo, quòd conuenit primæ mēti, tanquā Idææ, respondere in mūdo corporeo tēpus, vt imaginè eius. & quoniā Mens est duplex, vna nō participata, altera participata; ideo duplex est

est æternitas, & æuū; vnū nō participatū, conueniens primæ mētī; alterū participatum, cōueniēs subsequētib. mentibus. Hæc itaq; est differentia inter Theologos, & Platonicos. Theologi Deo tribuunt æternitatē; Platonici illū ponūt supra æternitatē: Theologi distinguūt æternitatē ab æuo, quod nō faciunt Platonici; vt patet latissimē ex Plotino in libro de æternitate, & tēpore, & ex Platone in Timæo, dū æuū ponit Ideam tēporis. Ratio primæ differentiæ est: quia Theologi mentē primā nō seiungunt à Deo; ideo Deo esse absolutē, & vitā eminentissimā tribuunt, & consequenter æternitatem: Platonici verō seiungunt. Ratio secundæ differentiæ est: quia cū Platonici tribuant semper esse, & æternitatem rei pendenti à primo principio, iam æternitas coincidit cum æuo; & præsertim id faciūt respiciendo ad etymologiam, & proprietatem vocis; ad quam respexit Plotinus in lib. de æternitate cap. 5. Menti succedit Anima, & præsertim ea Mundi: quæ, vt eleuata, & complicata cū mente, dicitur complicata cum æuo, & æternitate; & dicitur particeps æternitatis, & æui: considerata verò quo ad propriam suam naturam, & conditionem; quia seipsam mouet, & est origo transeuntis motus; ideo dicitur esse initium temporis. Quod tempus est duplex; vel primum; vel pendens à primo: vt etiam duplex est motus; vnus primus, & est ille, quo anima seipsam mouet; alter est pendens à pri-

mo, & est ille, qui in corporibus recipitur. Animæ conuenit primus motus, & primū tempus: corporibus verò conuenit tempus secundum, & motus secundus. Secundus motus, secundumque tempus, quo ad eorum vniuersitatem, conueniunt cælo; quo verò ad partes, conueniunt rebus mortalibus. Primum tempus, primusque motus, propriè conueniunt animæ rationali; cæteris inferioribus animæ gradibus solūm cōuenit portio, & umbra primi temporis; vt etiam potius vmbra animæ, quàm veræ animæ dici merentur.

Aristotelis sententia, eiusque cum Platonica collatio.

CAP. X.

Aristoteles, quia mentem à Deo nō secernit; ideo Deo conuenire æternitatem, & esse æternitatem affirmat: in quo cum Theologis conuenit, & dissentit à Platone. Insuper æternitatem ab æuo non distinxit; cōsiderauit enim æuum denotare esse semper, vt in primo cæli 100. cont. affirmauit; in quo conuenit cum Platone, dissentit à Theologis: & hoc constat præsertim ex 12. Metaphysic. cont. 39. vbi Deo asseruit conuenire æuum, & esse æuum. Ex his constat longè recedere à sententia Aristotelis, & Platonis illos, qui ex eorum opinione æternitatem supra æuum, & ab æuo distinctam ponunt: nam Aristoteles, & Plato idem significare